

www.e-rara.ch

**Omnium operum divi Eusebii Hieronymi Stridonensis Tomus
primus[-nonus]**

Hieronymus, Sophronius Eusebius

Apud inclytam Basileam, [1516]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-150989>

[Institut Amicum In Scientia Divinae Legis]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

- A** suam carne uestiuit, quod stultum est: uitam suam pati crucem fecit, quod mors est. Sic aduersa destruxit, & per dissimiles ante secula operationes ingenij artificis illius machinas elisit: ut partibus quibusdam salutaribus uestigijs, licet impressa, mortifera illius stigmata delerentur. Sed hoc studium nisi concupierimus, quoniam quod stultum est dei, sapientius est hominibus, sapientiam eius non tenebimus. Hanc mortē quod crux est, nisi amauerimus, quoniam quod infirmum est dei, fortius est hominibus, uitam eius nō poterimus intrare. Quid igitur sequitur: nisi ut relicta seculi & sapientia & uita, & stultos nos haberi patiamur, & mori nos cum domino semper optemus: ut in spe aduentus eius, qui utriusque rei erit reuelatio, partem aliquam habere mereamur. Tunc enim scissis omnibus uelamentis, talia qualia sunt singula, cuncta cernentur: id est, & stulticia mūdialis falsae sapientiae inuolucris denudata sistetur, & mors mentis beatitudinis deoperta uelamine, inhiante semper ore & patenti in profundum gutture, uitalium inimica prodetur. Tunc & coelestis sapientia, quae seculariter stulticia nominatur interposita, altitudinem scientiae dei, sine alicuius labore elucubrationis intrabit, & uera uita nullis mortis tenebris obscurata lucebit, per dominum nostrum Iesum Christum, cui est honor in secula seculorum amen. Vides o fili qua uale tudine laborat animus suus, specti qui ista non cogitat. Corpusculo adhibui palpamenta, quod si negligere, anima plus ualeret, quae tunc infirmatur cum exterior roboratur. Sed istam quam dixi animam, morbo stulticiae uitiatam, orationum tuarum frequentatu sanet: cuius anima seculi intemerata flagitijs potest alijs subuenire. Non enim eger salutis suae adhibere potest medelam egrotatione confossis: & anhelans altitudinem plagarum, uulneribus non medetur alienis. Sanus qui sit, certe curabit infirmum, oculatus caecum per praecipitia ducit. Tu itaque ut & sapiens domino supplica: ut quod non sapui sapiam, & tuis suffragijs uelut quibusdam remedijs me fac sanari. Reprehendat aliquis quod intantum delectabili disputatione processerim: ut meritorum meorum resipiscantiam non haberem: aut subito augustam Moyse cathedram indignus talium disputator ascenderim. Sed uere amore id egi tuo, non usurpatione mea. Nam ego dictum legeram peccatori: ne domini auderet narrare iusticias per os suum. Quod si contra interdictum pro tua dilectione praesumpsi: in eo tua gratia compensare dignabitur: ut litterulas quae ad plenum emendatae non sunt (sicut ipsis apicibus quibus exarantur apparet) tam facile ad publicum non perducas: at si ego uerecundus pro me esse non potui ut debui, uel tua modestia uerecundiae parcat meae. Et quia de me habent quod male scriptae sunt, de te habeant quod celentur. Vale, & nos in domino dilige in quo diligaris a nobis.
- B**

CENSURA EPISTOLAE SEQUENTIS.

Præterquam quod totus sermonis habitus, modis omnibus dissidet a dictione Hieronymiana, uel hinc deprehendi poterat ab alio scriptam fuisse, quod in plerisque codicibus, non erat ascriptum nomen eius ad quem fuerit scripta, quod diuus Hieronymus nunquam solitus est omittere, nisi cum est argumentum odiosius, uelut ad matrem & filiam de suspecto conuictu, praesertim quoties uersatur in argumento de clamatorio, in quo studuit exemplum proponere magis quam rem narrare gestam. In ceteris non solum ascribit uocabulum, uerum aliquid laudis admiscet epistolae. In quibusdam ascriptum erat ad Ctesiphontem.

INSTITUIT AMICVM IN SCIENTIA DIVINAE LEGIS.

Ræsumptionem meam excusare conarer, si me non & tempus & causa simulque tuerentur & charitas: & si nunc propria magis uerba quam diuina uellem tuis auribus intimare. Accedit insuper quod exhortatio nostra habet ex simplicitate fiduciam, & ex ueritate uirtutem: quia non de immundicia est, neque de errore, neque de dolo; hoc plane praemoneo, ne contemplatione mediocritatis meae, domini uerba despicias, quae pio affectu tibi nunc ecclesiae paruulo, ad conservandam infantiae nouitate lactea interim porriguntur: donec aut per te postmodum, aut per alios eruditus, in uirum perfectum, escis solidioribus roboreris. Ad plenum ergo te scire cupio, quod ex parte nosse te credo: ob hoc dominum & dei uerbum descendisse de coelis: ut assumpto naturae nostrae homine, humanum genus, quod ab Adam iace-

- C** bat, erigeretur in Christo: tantumque nouo homini per obedientiam præstaretur salutis: quantum ueteri per inobedientiã perditionis acciderat. Verum quoniam siue obediẽtia siue inobediẽtia, uocabula illa ut mihi uidetur incorporea sunt, nõ materiæ corporalis: & quia incorporea ex corporalibus generari omnino nõ possunt, manifestum est incorporea ex incorporalibus nasci: & si obedientiam incorporalem, quæ inobediẽtiæ remedium est, ex incorporali anima gigni ratione probabile est, manifestum est obedientiam ex animi consilio, non ex corporis materia procedere. Qua ratione colligimus uocationẽ nostram, iuxta uocantis dignationem, etiam nostræ uoluntatis stare consensu: ita ut lauacrum quod corpus credentis acceperit, animæ magis beneficio consequatur, & utriusque substantiæ purgationẽ, quæ in aqua cõstat & uerbo, merito mentis debeat afferri. Verũ ut ea quæ diximus, manifesta probatiõe firmemus, euidentia de scripturis exempla ponamus. Scriptum est in Apostolo: Sic Christus dilexit ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, ut eam sanctificaret, mūdans lauacro aquæ in uerbo uitæ, ut exhiberet eã sibi gloriosam & immaculatã. Per aquã & uerbũ mūdari dixit ecclesiã. Ecclesiã utique nos sumus: si tamẽ sine uitio & macula (ut præcipitur) uiuerimus: corporalia corporalibus, & spiritualia spiritualibus purgãtur. Anima uerbo & aqua, corpus aqua solummodo uidetur ablutum. Animæ intrinsecus pristinis in sordibus & concupiscentiis residenti, Euangelistæ est timenda sententia, dicentis: Phariseæ cæce, mūda prius quod intus est, ut fiat mundũ & id quod foris est. Et reuera si corpora nostra uasa sunt animarum: tunc erunt uere munda, si intus syncerum habeant purumque liquorẽ. Cæterum quæuis calix aureus sit, & ornatu gemmarũ ac splendor pulcherrimus: si in se uenena contineat, nõne præciositatẽ metallorũ letalis poculi uirus obfuscat: & micantẽ specierum nitorem uiolabit? Sed ne a proposito longius meæ pollicitationis excedã, præfatiuncula: meæ uerba, uerbis dominicis probabo: ut hoc quod dico, non ex humano sensu inuentũ, aut ingenio proprio excogitatũ putetur, sed diuinis sententiis uideatur esse constructum. In euangelio Iohannis dñs ad discipulos ait: Vos autẽ iam mundi estis propter sermonẽ meũ quẽ audistis: non dixit propter quod loti estis tantum: sed propter sermonẽ meum quem audistis: ideoque mundi estis. Omnes quidẽ sciebat lotos esse: sed non omnium interiora mūda esse probabat, quia inter cæteros erat Iudas, qui post aquæ purgationẽ, animi malicia sordabat. Propter quod quæuis cū alijs lotus ante fuisset: immūds tamen dñi sententia perhibetur. Cuius exemplo euidenter manifesteque monstratur, illum in ueritate dei gratiam percipere, qui eam eo ordine quo scriptura docuerit consequatur. Nam si aliquis corpore tenus renatum esse se credebat per aquam, & uerbo non sit regeneratus in spiritu, sua salute frustratur, quia celestis nouitatis hæc causa est, ut corporis qualitate manente, homo uetus in nouã animi mutetur uoluntatem. Cæterum quomodo corpus sordidum, si aqua non est ablutum permanebit immundum: ita anima nisi uerbo fuerit mundata diuino, sordibus uitiorum corrupta manebit. Ergo si eius consilio corpus aqua mundatur, qua ratione spernitur quod maius est, si quod minus est, iam tenetur? Stulticia est si ex parte saluari cupit, qui ex toto perijt. Qui cū integrã habeat in potestate salutem, media uelit esse contentus, & contra iura naturæ, putet solo corpore se saluatum, cum possibilis sit, ante resurrectionis tempus animam sine corpore uiuere, quæ corpus sine anima stare. Si quis duobus oculis duobusque laboret pedibus, & utriusque membri habeat in potestate medicinã, & uno pede, uel oculo uno sanato, ab alterius cura uelit medicũ prohibere, nõne uesane mentis, & medici iudicio, & omniũ hominũ erit sententia condemnandus? Sed dicit aliquis, si totum ex nostro labore expectatur, ergo gratia nihil præstat. Nolo quisque ignorantia titulo gratiam dei temere faciat ingratam: ne fidem suam uertat in scandalum, & fiat ei causa salutis, interitus & perditionis occasio. Cuius rei ratio si cū moderatione quærat: tum demũ proficiet ad uitam, quæ per præsumptionem forte præcipit ad mortem. Sed gratia quidẽ gratis peccata dimittit, sed cū consensu & uoluntate credentis. Sicut Philippus eunucho in actibus apostolorum probat dicens: Si credis ex toto corde, licet te baptizari. Quo testimonio intelligitur, non minus periculum esse, si baptizetur incredulus, quæ si uere credenti baptismum denegetur. Credens autem ille est iuxta scripturas, qui ex toto corde crediderit. Et si ex tota cordis

A arce credendum est, ut ex credulitatis merito baptismum fidei detur, aqua non sufficit baptizato, quæ credentis animum in corde non attingit. Et ne periclitetur meritum cordis, uerbum quo contingi & mundari cor possit, accipiat oportet. Quia si aqua contentus sit ille qui credidisse se dicit, quæ membra extrinsecus diluuntur, & uerbum quo gloriatur anima non requirit: iam non uidebitur ex corde ut debuit, sed ex corpore credidisse: quod nequaquam fieri posse ratione ulla conceditur: ut sine sententia mentis, solum corpus peculiarem intelligentiam habere iudicetur. Vnde confidens de prudentia tua, quæ pro benignitate sibi insita, præposterum quicquam fieri, nec alij homini pateretur: rogo ut ad institutionis plenitudinem, uerbum domini, hoc est euangelium diligentius legas: ex quo scientiam ampliorem eius quam credidisti lucis excipias: ut possis in omnibus nosse quid factururus sis. Nam sine diuinæ legis & disciplinæ cœlestis scientia, difficile esse quemquam posse saluari, non meus, sed diuinus sermo probabit. Ait Esaias propheta: Qui non didicerit iusticiam dei, ueritatem non faciet. Item de hoc ipso in libro Sapientiæ: Et quis erit con summatus inter filios hominum: si abfuerit ab illo sapientia dei, in nihilum computabitur. Vani sunt enim omnes homines quibus non est scientia legis dei, Vnde dominus in euangelio ad eos qui aliter quam se ueritas habeat, suspicantes erant: respondit: Erratis nescientes scripturas: ostendens in summa rerum salutarium nebula & tenebris constitutos eos, qui spiritalem lucernam: id est, diuinæ legis scientiam, habere nollent accensam. Quam quidam repellentes, per prophetam a domino repelluntur, sicut scriptum est: Quia tu scientiam repulisti, repellam & ego te. Nullo igitur modo passim nos nostro iudicio committamus, ne nobis exclamet Esaias: Væ qui prudentes sunt apud semetipsos, & in conspectu suo periti. Vnde & Paulus Apostolus ait: Si quis sibi uidetur sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens. Sapientia enim huius mundi, stulticia est apud deum. Propter quod ad regem Tyri dicitur, humana sapientia gloriantem, sapientes enim non erudit te, id est doctrinæ cœlestes, & sapientia dei. Est & sapientia hominum, non negamus: sed una suadet ad uitam, alia impellit ad mortem: quia sapientia humana quæ stulticia reprehenditur: & ab Apostolo spiritu sancto definitur, ianua mortis, & materia æterni interitus approbatur. Sicut scriptum est in propheta: Simul insipiens & stultus peribunt. Insipiens qui dixit in corde suo non est deus: & stultus quis deum ore fateatur in actione præsentis uitæ: in perpetuum non prospexit, sicut scriptum est: Melior est puer pauper & sapiens, quam rex stultus & senex, qui nescit in posterum prouidere. Bonum est quidem homini sapere, si iuxta scripturas ad hoc sapiat, ut prouidentiam habeat futurorum: mortalitatis statum, per quotidie morientium hominum exitus, & totius sæculi paulatim per detrimenta labentis ruinam considerans. Cæterum si quis usurpatæ semel intentionis ducatur intuitu: & sua se magis, quam dei uelit gubernari sententia, diuinamque lege postposita, propria consilia, dei consilijs anteponat, hanc prophetæ clamantis timeat uocem: Væ despicientibus legem domini, timor, fouea & laqueus super eum. Sicut pluuia ualida inutilis est: ita qui relinquunt legem laudant impietates. Qui autem diligunt legem, circumdant sibi murum. Beatus uir qui in lege domini die noctumque meditatur: cuius animus aliud nescit, quam sermonis dei æloquia retractare. Quanto a terrena cogitatione remotior est, tanto deo uicinior & cœlo est: quem non immerito diuinus sermo & collaudat, & uere ditiores diuitibus præfert, dicens: Beatus homo qui inuenit sapientiam. Melius est enim eam mercari, quam auri & argenti thesauros: præciosior est lapidibus præciosus. Item omne aurum in comparatione illius arena est exigua: & tantum lutum existimabitur argentum ab illa. Sed dum in exhortatione sapientiæ diutius immoramur, ne quis forte existimet nos contra Apostolum, doctorem legis præferre factori, suo ordine respondebimus, oportere prius nosse quid iussu sit, quidue prohibitum, ut scientes utrumque seruemus. Alioquin ante scientiam mandati impossibile est nosse quid fiat. Temerarium satis est, si nostræ uoluntatis legem nobis putemus posse sufficere: cum etiam Apostolum legamus fuisse sub lege, ipso dicente: His qui sine lege erant, quasi sine lege essem, cum sine lege dei non essem, sed in lege Christi essem. Et alibi: Inuicem onera uestra portate, & sic implebitis legem Christi. Qui paterna pietate Christi passione redempti sunt: & qui ad hoc redempti sunt, ut redemptoris iura seruantes ad uitam

C se in cœlo repositam præparent: ad quam redempti licet nullo modo peruenire dicantur, nisi ea quæ iubentur obsequiis competentibus exequantur, sicut scriptum est: Si uis ad uitam ingredi, serua præcepta: hoc est, ab omni illicito quo prohiberis, recedas, & ad omne bonum quod iuberis, promptus accedas: ne in pristinis uitiositatis concupiscentiis perseverans, fidem qua credidisti, ueteris peccati alicuius adhuc amore corrumpas, & agnitio dei, quæ per nouam gratiam reuelata est, per delicta uioletur, dicente propheta: Mendacium & nō fides præualuit super terram: quia a malis ad mala transierunt, & me non cognouerunt, dicit dominus. Vnde & beatus apostolus Iohānes paria testatur, dicēs: Qui dicit se nosse deū & mandata eius nō custodit, mendax est, & in hoc ueritas non est. Et iterum: Omnis qui peccat, non uidet deum, nec cognouit eum. Et peccatum non in uno tantum mandatorum genere, sed in utroq; consistit. Peccat quidem ille qui imperata neglexerit, sed plus peccat qui interdicta non seruat. Sacrificia & uota reprobabuntur oblationum, nisi purus & sanctus fuerit animus offerentis: & immaculatam hostiam faciunt indignam præcordia maculata, dicēte domino: Si offers munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, quia frater tuus habet aliqd aduersus te, relinque illic munus tuū &c. Omni oblatione & hostia præciosior est obtemperantia mandatorum, dicente propheta: Ecce dico, obedientia melior est q̄ uictima, & obauditio q̄ adeps arietum. Et alibi: Initium bonæ uiæ facere iussa, quæ accepta sunt apud deum magis, q̄ immolare hostias. Et alibi: Qui conseruat legem, multiplicat oblationem. Sacrificium salutare est, attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate, & propiciationem litare sacrificij super iniusticia. Non nobis blandiri debemus in factis iustorum, si in prohibitorum transgressionem peccemus, cum transgressionis crimen benefacti meritum tollat. Quod non mei sensus assertio, sed utriusq; testamenti exempla probant: ubi inuenimus etiam dei amicos ob unius contemptus errorem, bonorum retrofactorum munificentiam perdidisse. Sic Adam cum diabolo facile credidit seducēti: post familiaritatem & colloquium dei, unius pomi cupiditate superatus, perdidit paradysum: & quia per transgressionem unum habere præsumpsit, multa simul bona amisit. Sic uxor lot post angelorum obsequia, contra interdictum retro respiciēs, in figmentū salis repente mutata est. Sic Sameias eadem die, qua mirabilia fecerat gratia prophetali, a leone deiectus occiditur. Sic infelicissimus Iudas, post electionis meritum, post signorum gloriam, post apostolicam dignitatem, exiguae stipis amore deceptus, cui tribunal promittebatur in cœlo, laqueo captus est in terra. Et ne nobis per alienarum solummodo rerum fraudulentiam periculum imminere putemus, reminiscamur Ananiā & Sapphiram, nō de aliena appetita pecunia, sed de sua timide erogata damnatos. Rogo post tot documēta, & tot mortes, unde in nobis crescit impunitas delinquēdi: Quis hic præsumptionis spiritus, qui tantā in animo nostro operatur audaciam: ut cū sanctos hoīes de leuib; etiā culpis uideamus esse punitos, & nos quotidie in maiorib; & pluribus delinquētes, æternos in media damnatione fore credamus. Quāq; leue nūq; sit, deum etiam in exiguo contemnere: qui non tantum ad qualitatem peccati respicit, sed ad personæ contemptum. Propter quod homini non solum intendendum est, quale sit quod iubetur, sed quantus sit ille qui iubet. Excluditur hoc loco uulgaris illa sententia, qua mihi, suo iudicio religiosi & qui sapientes sibimet uidentur, dicere solent: Sufficit nobis ut non criminalia peccata & maiora faciamus, facilis est enim omisio minorum delictorum. Qui dum animali sapientia occupant animos, spiritalē intelligentiam & consuetudinem diuinæ legis ignorant: quæ sæpe peccatum ostendit, quod nobis nō uidetur esse peccatum: & quæ illic pietatem facit, ubi nos opus impietatis ostendimus. Saul & Iosaphat reges fuerunt populi Israel, & dum misericordiam his quos deus oderat præstiterūt, dei offensam in opere pietatis incurrunt. Econtrario Phinees filijq; Leui, gratiā dei humana cæde & suorum parricidio meruerunt. Vides quantum ab humanis sensibus per nostram imperitiā discrepat diuina sententia: ut nobis interdum cœlestis iudicis dispensationem nescientibus, iniusta uideantur, quæ per causarum scientiam iuste satis & recte facta probantur. Rursum ea quæ nostro iudicio bona probantur, apud deum plarumq; reprobata & ingrata uidentur. Quis hodie patris Abraham exemplo, innoxium uolens filiū trucidare, humano

iudicio

A iudicio non crederetur infans. Contra, quis in tactu arcæ diuinæ imitatus Ogam, hominum sententia damnaretur? Episcopus ephesiorum angelus in Apocalypsi nūcupatus, qui causa nominis Christi passionum multarum merita intra conscientiam retinebat, quia in ipsis passionibus a primo conuersationis seruire tepuerat cum calorem paululum temperasset, ad pœnitentiam reuocatur, dicente scriptura: Noui opera tua, & patientiā tuam: & quia potes sustinere malos: sed habeo aduersus te pauca, quia charitatem tuam pristinā reliquisti: Memento unde excideris, & age pœnitentiam. Cōsyderemus quantus casus sit temere contemnentis, cū tanta ruina esse dicitur in negligentia obsequentis: uel quā damnationem excepturos credimus esse in deuotos, cum tantam reprobationem deuotus exceperit? Tepidum discipulū nō amat Christus. Qui uult meus discipulus esse, ait, abneget semetipsum sibi, & tollat crucem suā & sequatur me. Oportet uos per multas tribulationes introire in regnum cœlorum. Beati estis cum uos maledixerint homines, & persecuti fuerint, & dixerint omne malum aduersus uos: gaudete & exultate, quia merces uestra multa est in cœlis. Futuræ uitæ gloria, præsentis uitæ incommodis comparatur. Christianis uexilla crucis sunt delitiæ: trophæa nostræ uitæ nō pompis, sed miseris reportantur. In nostra classe uiri fortes opprobria sciunt portare, non munera. Paupertati non nobilitati, futurorum beatitudo promittitur. Retrahit quidē uerecūdia senatorem, ne sequatur pauperem Christū, sed audiat a Christo: Qui me confusus fuerit, & mea uerba in generatione hac adultera & peccatrice: & filius hominis confundet eū in gloria patris sui cū angelis sanctis. Turpe est inter parentes senatores atq; grammaticos, scholasticū pro Christo uolūtaria humilitate deiectum, uerbis simplicibus esse contentum. Displicet amicis si post ambitiosi habitus cultum, plabeia & ignobilia indumenta mutantur. Sed si hominibus placere uellem, ait Apostolus, Christi seruus non essem. Et propheta in psalmo: Quoniam deus dissipat ossa eorum, qui hominibus placent: cōfusi sunt quoniam deus spreuit eos. Quantum bona est humana offensio, per quam inuenitur seruitus Christi: tantum pernitiōsa est amicitia quæ dei præstat offensam, sicut scriptum est: Qui uoluerit amicus fieri huius mundi, inimicus dei constituetur. Dicat unusquisq; quod uelit: ego interim de me pro sensus mei paruitate iudicauī, melius esse confundi coram peccatoribus super terram, q̃ coram angelis sanctis in cœlo, uel ubicūq; iudicium suum dominus uoluerit demonstrare. Esaias uir in sua gente nobilissimus, qui socer regis Ezechiae fuisse refertur, iussu dei deposito cilicio nudus incedit: nec tam ardui præcepti pudore deterritus est, quo minus dei imperium sequeretur: quia nihil honestius esse homini, q̃ creatori suo parere iudicabat. Iohannes quoq; baptista, nobilis & in carne & in spiritu natus: cilicium a pueritia in habitum, & locustas elegit in cibum: qui nec peccati cōscientia, nec paupertatis inopia, ad huius gloriā oneris, sed sola futuri sæculi beatitudine trahebatur. Apostoli iam sperant, & adhuc stulti & inutiles & tenuis fidei arguuntur. Non sunt condignæ passionēs huius temporis ad futurā gloriā, quæ reuelabitur in nobis. Inde Paulus oculo mentis futura contēplans, dicebat: Quis nos separabit a charitate Christi: tribulatio an angustia, an persecutio, an fames, an periculum, an gladius? Illos pericula non separant, nos uoluptates. Illi catenas baiulant innocentes, nos aurum circūferimus criminosi. Illi in carceribus uincti, nos in tridinijs delicati. Illi in neruo positi deum puro corde & syncera cogitatione laudantes: nos in ipsa forte ecclesia de forensibus calūnijs cogitamus: & cum omnibus æqualiter legis data sit gratia, gehenna seu cœli regna promissa sint, alijs de diuitijs, alijs de uirtutibus meditantur. Cūq; dictum sit generaliter omnibus: Dominum deum tuum adorabis & illi soli seruiēs: alijs innocentia, misericordia, castitate, ieiunio, deo fideliter & sine cessatione seruiētibz: nos nobis adulteros, quibus seruire uolumus eligimus. Siquidem iuxta euangelij sententiam: Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Et reuera si amator pecuniæ sum, si gloriæ, si superbiæ, si ambitionis aut pompæ: dum illi omne studium meæ uoluntatis impendo, domino seruire non possum, quia duobus dominis neminem seruire posse scriptum est. Non estis uestri dicit Apostolus: empti enim estis precio magno: glorificate & portate deum in corpore uestro. Clémenter spiritus sanctus nostro iure nos conuenit, sciens hoc in usu publico apud omnes homines custodiri: ut tanto seruus in opere domini esset cautior, quanto maiore esset peculio comparatus: ut intelligamus q̃ strenui

- C** esse debeant in opere dei qui redempti sunt sanguine Christi: uel quod criminosi debeant iudicari, qui cum sciant pro precio suae salutis Christi sanguinem datum, alteri qui nihil praestitit, magis praebeant seruitutem. Rogo quo pudore obsequij aut laboris sui, mercedem sperabit in caelo, cuius fuerit sollicitudo omnis in terra? Mercenarius saeculi, non potest accipere premium Christi. Omnis miles in castris iure sperat annonam, qui fortiter in praelio pro ciuibz laborauerit. Dignus quidem est operarius mercede sua: sed & hoc dignum est, ut inde premium operis accipiat, ubi totius operam laboris impendit. Nemo militans deo, implicat se negotijs saecularibus: ut placeat ei, cui se probauit. Apostoli uox est. Vnde satis timeo ne forte in illa retributionis die, qua ante tribunal Christi unicuique secundum sua facta reddendum est: his qui in terrenis magis negotijs, quam in coelestibus laborauerunt, iusti iudicis responsione dicatur: *Ite si potestis, & illic ubi tota deuotione seruiuistis, mercedem uestrae seruitutis exigite.* Talis causa est uirginum de euangelio quinque stultarum: quae dum sollicitudine saecularium uanitarum, se contra professionis suae ordinem occuparunt: oleum unde uerum lumen accederet non habentes, in tenebris remanserunt. Sed dicit aliquis, ista exempla ad paucos pertinent, quos deus ad hoc peculiare officium delegauit, quia scriptum est: *Multi sunt uocati, pauci uero electi.* Hoc primum quaerere a te & audire uolo, quisquis es qui ista proponis, si ipsius dei electio est cuius est & uocatio, quid uoluit plures uocare, qui paucos de pluribus erat electurus? Certe de duobus uocatis illum uis stare, quem deus electione statuerit: & illum contra cedere, quem deus electionis uirtute non muniat. Quod si ita est, nec bona ad nos pertinet hac ratione, nec mala: & sicerit, ut nec culpa poenam habeat, nec benefacta laudentur. Sed ad haec respondit Apostolus: *Si ita est, quomodo deus iudicabit hunc mundum?* Deinde si paucos quos dicis electos, solos sanctos existimas, qui uocati sunt, reprobos dicis: quomodo idem Apostolus Paulus in epistolarum suarum principijs uocatos sanctos uocat, sicut in fronte colicis ad Romanos loquitur, dicens: *Omnes qui sunt Romae in charitate dei uocatis sanctis.* Si pro paucis passus est Christus, iustum est ut pauci mandata Christi custodiant. Si autem indiscrete, omnes qui credimus, sacramentum in baptismo passionis accipimus: si omnes aequaliter renunciamus diabolo & mundo: si omnibus haud recte uiuentibus gehennae poena promittitur: omnes debemus eadem diligentia & cauere prohibita, & explere praecpta. Scimus quidem multas esse apud patrem in coelestibus mansiones. Sed mansionum iusticia iustiores mansiones differre: sicut & stellam stella dixit Apostolus esse clariorem. Sed stellam cum stella, non lapidem comparauit, quia terrenus lapis inter coelestes stellas esse non poterat: sicut nec peccator inter iustos in regno coelorum. Sed sunt quidam gradus gloriae inter iustos in caelo: sicut & inter peccatores gradus poenae. Sed sicut alia, eum qui fratrem fatuum dixerit, alia eum qui racha, tormenta cruciabunt: ita & in regno, alia Paulum apostolum, qui ut alios saluos faceret, omnia omnibus factus est: alia eum qui se uix aedificare potuit laicum gloria manebit. Sed utinam consentiam paucos esse, qui dei mandata custodiant: uerum timeo, quia pauci sunt, qui dei credant in ueritate iudicium. Ecce si umbrato repente de caelo, solis claritas nostris aspectibus denegetur: & productis in nostram humilitatem nubibus, pluuiae terris immineant: si commotis ut assolet elementis in rotam sui currus tonitrua concitentur: & inde hinc fulgurum iacula palpebris terribiliter obiecta coruscent, quaeque & consuetudine ista contingant: pauemus, contremiscimus, & proni ad terram deposita superbia ceruices submittimus. Quid faciemus in illa die miseri: quando reuoluto caelo cum angelicis uirtutibus, igneus dominus totus adueniet: quando cadentibus desuper stellis, sol in tenebras, & in sanguinem luna mutabitur: quando montes sicut cera liquefcent: quando terra ardebit & arescent flumina & maria siccabuntur: & contra rerum naturam consumpto diuinitus humore, ariditatem in aquis ignis operabitur: quando peccatores dicent montibus, cadite super nos: & collibus, tegite nos? Quando uocabunt homines mortem, & uocata non ueniet: quando discrimina uertentur in uota: & quod semper oderunt homines, concupiscent: quando illud implebitur tempus, quod lugubri Hieremias praedicat affectu, dicens: *Respexi in terram: & ecce non erat luminaria.* Vidi montes: & ecce erant tremetes: & uniuerfi colles turbati. Intendi acie, & ecce non erat ho-

A mo: & oēs uolucres cœli pauebāt. Vidi & ecce Carmelus desertus, & oēs ciuitates succēſe igni a facie dñi, & a facie iræ indignatiōis eius: & interierūt uniuersa. Verū ne ex suggestione diaboli hæc ad terrorem, non ad ueritatem dicta crederentur: de præteritis futura probantur, quando talia in diluuiō, in Sodomis, in Aegypto, in Hierosolymis sæpe ob delicta hominum facta referuntur. Et Apostoli qui hunc horrendum diem, impijs & peccatoribus præuidere meruerunt, humiles erant mortuos suscitantes: & nos supra omnes erigimur, qui peccando quotidie nosmetipsos occidimus: nos respicientes in nobis flebilem infirmamq; naturam, quæ nec in aduersis fortis est, nec in prosperis aliquando secura. Si intemperate cibus sumptus, aut immoderate potus acceptus, leuem corpori febriculam cōcitarit, deſicimus animum, affligimur, suspiramus: nulla cura tunc est sæculi, nulla uillarum: nemo de patrimonio cogitat, nemo de foro, omnes calumniæ, omnia lucra in periculis corporis conquiescūt: Curritur ad medicos, & pro remedio carnali promittuntur munera, aurum, argentum: interdum etiam mancipia traduntur, & pene totum patrimonium, aut negligitur, aut donatur, ut consulatur uitæ quandoq; peritura: & pro æterna salute omnis admodum homo negligēs est, omnis auarus illic omnis frugalitas largitoris, animi tenacitate constringitur: ubi promptior uoluntas & copiosior largitas deberet operari. Et cum scriptura dicat: Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt: nos sic mundana concupiscimus, sic amamus, quasi aliquid nascentes intulerimus in sæculum, aut recedentes de sæculo nobiscum auferre possimus. Nemo ad breuitatem temporis, nemo ad naturæ respicit conditionem, nemo consyderat, nemo retrectat uana esse omnia, quæ aliquo fine clauduntur. Si autem contrigerit, ut inter cæteros languidum uisitantes, aut clericus, aut sacerdos, aut etiam laicus dei seruus adueniat, rogatur ut oret: & qui sæpe pro nihilo contemptus fuerat, necessitatis tempore supplicatur, ut præcibus suis com meatum uitæ longioris obtineat. Sic causa discriminis, quæ uicina timetur, dum despecta eliguntur, & præciosa uileſcunt, uitæ illius quæ post mortem permutatio figuratur: ubi iam & Laſarus pauper recipitur in requiem: & diues in hac uita pomposus uexari fertur in pœnis. Et cum sic dominus, aut sanctorum motus oraculis, aut creaturæ suæ beneficio, aut medici arte conferta misericordia restituat sanitatem, cito succedente obliuione, in contrarium omnia permutātur. Timor in insolentiam: gratia uertitur in contemptum: & quasi nihil unq; incommodi senserimus, aut qui reuocari rurſus ad talia nequeamus, rebellamus, efferimur, & concessum ad pœnitentiam uitæ spatium negligimus: nec pœnitendo pristina lachrymis peccata diluimus, sed peccata nō pœnitendo cumulamus. Legamus Eſaiam prophetam, & necessariū Egechiæ regis aptum huic causæ quæramus exemplū: cui morituro anni quindecim ad superiorem uitam proprijs fletibus, & pphetæ præcibus augentur. Quiq; accepta tanti muneris gratia, non peccatis, non uoluptatibus, non delictijs, sed soli domino indultum uitæ spatium, humilis & sanctus exhibuit. Verum, quia tibi honorabilis & dilectissime parens, per nouam gratiam omnis lachrymarum causa deterſa est, age, caue, curre, festina. Age, ut in ſpiritualitate proficias. Caue, ne quod accepisti bonum incautus & negligens custos amittas. Curre, ut non negligas. Festina, ut celerius comprehendas. Siquidem Paulus iam Christi catenam pro euangelij annunciatione circūferens: nondum se comprehēdiſſe dicebat, quāuis hora sexta, hoc est, mediā ætate domini uineam operaturus, quasi feruidus opifex & fidelis, aliorum longam dubietatem languidumq; uinceret teporem. Dum tempus habemus seminemus in ſpiritu, ut messem in ſpiritibus colligamus. Nec attendamus ad paleas: quas uentilabrū Christi continuo separabit a tritico, donec qui uenturus est ueniat. Et iuxta pphetæ uaticinium, discernatur inter iustum & iniustum, & inter ſeruientem deo & non ſeruientem. Sicut & alibi dominus dicit: Ecce qui ſeruiunt mihi epulabuntur: uos uero eſurietis. Ecce qui ſeruiunt mihi letabuntur, uos autem contristabimini. Non nos inertes, uindictæ dies & retributionis inueniat, qui imminens ac uicinus eſſe, & ſæculi ruinis undiq; concurrentibus, & ſcripturarum conſtatione probatur. Cōſyderemus quod in hac terra hospites ſumus, & peregrinorum more pro diebus nouiſſimis habitamus. Vos em̄ de hoc mundo non eſtis, diſciſ nobis. Quid ergo in aliena ſatagim⁹: quid turbamur? Nemo in deteriori & extranea patria plus eligit

CENSURA EPISTOLAE SEQVENTIS.

C Totus huius epistolae stilus sic abhorret ab Hieronymiano, ut non dubitem negare Latinū fuisse qui scripserit, sed Græcum. Resipit em̄ sermo totus Græcitatem quandam, & balbutiē hominis in aliena lingua uersantis, id quod ipse propemodum, testatur cum ait: Latino utens æloquio. Quorsum em̄ attinebat Hieronymum præfari Paulæ & Eustochio se latine uelle scribere, cum quicquid scripsit, Latine scripserit. Deinde cum addit, Infantium more balbutientiū, qui quæcūq; audierint, fari gestiunt: cū necdū possint ad plenum uerba formare: nonne palam indicat sese tentare sermonem peregrinum, in quo parum sit exercitatus, quod etiam si non fateatur, ipsa tamen dictio præ se fert. Nec em̄ usq; adeo æloquētiæ suæ fuit ignarus Hieronymus, præsertim id ætatis, ut se balbutienti infantulo fuerit comparaturus. Pro nobis faciunt & illa, quæ paulo superius præcedunt, Qui uobis dudum tractatibus loqui consueueram, ut nouo loquendi genere, exhortationis gratia, &c. An hoc scripti genus nouum Hieronymo? An non scripserat in exhortatorio genere permulta, cum ad diuersos diuersa, tum ad Eustochium librū de uirginitate? Quod autē omnino genus æloquiū nouū erat Hieronymo? Si diuinare licet, suspicor esse Sophronij, quem in Catalogo scriptorum testatur fuisse uirum apprime doctum, sed græcum, Is adhuc puer conscripsit laudes Bethlehem, ac iam grandis insignem librum de subuersiōe Serapis. Multa diuini Hieronymi opuscula elegāter uertit in linguam Græcam, Librum de uirginitate ad Eustochium, Vitam Hilarionis Monachi, psalterium & prophetas, quos Hieronymus ex Hebraica ueritate uerterat Latine. Vidimus ipsi librū & de claris scriptoribus, ab eodem Græco sermone traductū, Vnde rursus latina deprauatissima correctæ sunt. Errorem autem inscriptionis hinc apparet ortum fuisse. Primū quod scribit ad Paulam & Eustochium, ad quas multa Hieronymus. Deinde quod quædam conueniunt hic, cum his quæ in Paulæ epitaphio postea scripsit Hieronymus, de uagitu pueri, de angelis canentibus: sicut admonuimus eo loco. Quasi uero non plures alij scripserint ad nobilissimas mulieres, quæadmodum aliquot locis testatur & Hieronymus, aut quasi mirum sit Sophronium scisse, quod sciuerit Hieronymus, cum apud eum ut apparet uixerit. Nec hanc usq; citat Hieronymus, nec uerissimile est illum uia Paulæ scripturum fuisse de uisione angelorum & similibus, quæ de mortua demum prodidit. Verum quid ago tot argumentis, cum stilus omnibus modis longe lateq; discrepans, abunde satis sit argumētis?

AD PAVLAM ET EVSTOCHIVM DE ASSVMPTIO
NE BEATAE MARIAE VIRGINIS SERMO.

D **C**ogitis me o Paula & Eustochium, imo charitas Christi me cōpellit: qui uobis dudum tractatibus loqui consueuerā, ut nouo loquēdi genere, sanctis quæ uobiscū degunt uirginibus, latino utens æloquio, exhortationis gratia, sermonem faciā de assumptione beatæ & gloriosæ semper uirginis Mariæ, more eorum qui declamatorie in ecclesijs solēt loqui ad populum: quod utiq; genus docendi, necdum attigerā. Sed quia negare nequeo quicquid iniungitis, nimia uestra deuictus dilectione, experiar quæ hortamini affectu infantium more balbutientium, qui quæcūq; audierint, fari gestiunt: cum necdum possint ad plenum uerba formare: maxime, quia propter simplices quasq; id me depromere cōpellitis, ut habeat sanctum collegium uestrum sermone latino, quibus se occupet laudibus eadem die, quibusue diuinis uacet lectionibus: præsertim cum & eadem in multis festiuitatibus, multorum sanctorum patrū studia, miro cuderint æloquio, quæ de hac quidem uberius ubiq; in scripturis diuinis prædicata leguntur. Quid em̄ aliud sonant euangelia, nisi dominū nascentem ex Mariā uirgine? & omnia eius incrementa quousq; fuit in mūdo dūtaxat, diuinis efferūt præconijs. Porro ab exordio sancti euangelij Gabrielem archangelum colloquentem Mariæ didicistis, & deinceps reliqua oīa plenius legistis. Ad p̄sepe quoq; o Paula te teste, nato puero inter crepundia noui partus, & querelas nescij ploratus, pro fescenninis, Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis: multitudinem angelorum cātantium audiuiisti: & radiātem stellam uidisti. Pastoribus insuper euāgelizantibus credidisti. Magos præterea tria deferētes munera, in uisione beatis oculis conspexisti: ipsa eadem munera bene intelligēdo uotis omnibus fide deo obtulisti. Nam & cum eisdem Magis deum puerū in præsepio adorasti. Sed forte cōquesta me delatorem, quod te prodiderim clamabis. Ad quod ego, Si celatum esse uolebas teste conscientia, mihi narrare ante præsepium, ubi plurimū lachrymata es, non debueras: quod ut uerum fatear, Christi præconia, etiam si uoluerō adiuratus, neq; tuas laudes omnino tacere queo. Idcirco tuæ te interrogent filia, quas lacte nutris: tu ea melius referabis, quæ nescio si per speciem aliquam, aut certe in spiritu uidisti. Vnde uos o filia, pulsate matrem præcibus, pulsate ad ostium inuitantis amici: si quo modo tandē uobis aperiātur, quæ referata sunt matri. Verūtamē de his quid plura dicam? Omnia saluatoris gesta & beatæ Mariæ obsequia:
necnon